

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 16. (Neovidensis 1808. Nro. 13.)

Politica Colloquia.

De Indiis Orientalibus.

Elysium Meum. — Die Veneris. I. Mar. 1808 (Neov. 12. Feb. 1808.)

S e n t e n t i a.

Vasco de Gama promontorium tormentorum
(Bonae Spei) praeternavigans viam invenit
in Indias Orientales; quantus vir!

Huet.

Felix hæc detectio, quam Portugallis in
acceptis ferimus, Anno 97. contigit supra mil-
lesimum quadringentesimum, ea ductum com-
mercii in orbe mutavit, & dimidio post se-
culo Portugalli domini effecti sunt omnium
opum in Indiis orientalibus. — Quidquid be-
nigna mater natura in regione hac utile, quid-
quid amœni, & rari procreavit in Europam
translatum, via ex Tago ad extremum usque
Gangem patefacta, Ulyssibona & Goa floren-
tes redditæ, reges Siam & Portugalliæ ami-
citiæ & fœderis vinculo nexi sunt.

Aurea hæc ætas præteriit — gloriæ &
habendi cupido omni tempore efficacissima
erant motiva ad orbem terrarum, & eo con-
tentum bonum utileque evertendum; Hodie
Angli hac regione potiti, in ea dominantur,
illis per maritimam, qua pollent, potentiam

quævis maria obsequuntur, & ipsa hæc præpotentia causa est, eos inde impeti non posse.

At per Continentem? an via per Persiam in continente tam grandes involveret obices? *Europæus observator trium in continente ad Indias factarum meminit expeditionum; juvat ejus narrationi paullulum immorari.*

, Regio Orientis, (ait is) patria est revolutionum politicarum; novæ religiones in ea suam accepere originem, in ea imperia immania surrexere, quorum devastatio & desolatio erant sequelæ. *Alexander* tam temerarius, quam dominandi cupidus, æque perspicax, ac universifamans, expeditionem suscepit a Scamandro in Indias orientales, præprimis opibus regionis ad id consilium permotus; quod nihilominus successu caruit, quod æstate anni, quæ pluviarum tempus in iis partibus esse solet, eo penetraverit, quo omnia flumina littoribus suis excedunt, & regionem inundare consuevere.

Terrarum tractus Persiam & Indostaniam intercedentes, parum adhuc noti sunt. Persia fluviis laborat, regio hæc diuturno bello domestico desolata & devastata est, caretque viis permeabilibus; Persiam ab Indostania jugum montium separat, quod medium Asiæ permeat, & plures fauces numerat. Omnes tres Occupatores, qui ex Persia in Indiam irrupere, *Alexander, Tamerlanus & Nadir Schach*, eadem ferme via processere. Ex quo elucere videtur: memoratam catenam mon-

tium paucas penetrationi opportunas vias, & transitus continere. — Hos montes inhabitant gentes, quæ feritate non minore, quam temeritate, diffidentia æque ac animo bellicoso præditæ sunt, tum eas excipiunt bellicosissimæ Orientis nationes: *Afghani*, *Seyki*, & *Maratti*, qui immanes exercitus in campum educendo sunt. *Seyki* contendunt se 300 ultra equitum millia armatorum statuere posse; Annis 1793 & 4. exercitus eorum 248 numerabat millia; *Maratti* nequaquam Anglis favent, & admodum ante paucos annos multi Gallici militares officiales inter eos numerabantur, qui dein ex stipendiis dimitti debebant. Pluviarum periodicum tempus, diversis, pro regionum varietate, anni partibus incidit, in borealibus regionibus pluvix continuæ sunt, interea in adsitis regionibus planities arida est.

Alexander Magnus expeditionem suam ex regione Maris Hyrcani (Caspium) auspiciatus est; *Bactriam* attigit, unde jugum montium transiit; imbres in montibus, in quibus quævis flumina, quæ *Pendschab* recipit, originem ducunt, jam iaceperunt fuadi. Jamque prius ea valide intumuisse oportuit, quam eorum littora attigisset; ad *Taxilam*, (hodie *Attock* dictam) Indum transivit, qui ex sententia *Cl. Rennel* eo unice loco lento defluit alveo, ut pons ei superstrui possit; in medio ætatis *Hydaspem* superavit (hodie *Bahat* adpellatum) eo circiter tempore, quo imbres validissimi erant. — Molestiæ, quas milites in suo iti-

nere perferendas habuere, inexplicabiles erant, eosque impatientis animi effecit, quare receptum canere coactus, postquam non ultra australem *Hypasii* ripam progressus, ubi 12. *ingentis molis Aras*, victoriarum, & rerum a se gestarum monumenta, erigendas curavit. —

Tamerlanus, qui regni sui sedem propius Indiae habebat, meliusque de natura regionis edoceri potuit, declinavit errores Macedonis, suamque expeditionem anni parte sicca orsus est. Incepit ea Anno 1398 et *Gangem* ultra perripuit, at anno proximo rursus *Sca-mandrum* revisit.

Nadir Schach Anno 1738 impetum fecit in Indias Orientales; occupavit *Dehliam*, et anno sequente trucidatis multis Incolarum millibus, et extortis innumeris pecuniariis praestationibus in Persiam reversus est — reditus hic per easdem prorsus ditiones susceptus legitur, quas Alexander transiit, ferme in eadem directionis serie. Difficultates, quas *Nadir Schach* in hoc argumento superandas habebat, molestiaeque, quibus ea occasione exercitus ejus obiectus, immanes erant; quamquam Nadirius illimitatam potestatem, immensamque opum vim teneret; et singularibus mentis dotibus non minus, quam belli experientia excelleret, eam nihilominus aegritudinem expertus est: quod magnae copiarum suarum partis jacturam tulerit, dum *Pendschabum* trajiceret, et per montes boreales Indias perumperet, cum ejatum partium incolis feris et incultis pugnaret, qui se ab ora Orni ad confinia usque Persiae exporrigebant.

Quibus expensis : quis dubitabit de probabilitate, novam, & cum meliore successus spe, quam olim, adparatam expeditionem per Persiam in Indiam præparari? — Persici militares officiales, memorantibus publicis paginis, specialia mandata Gallico legato ad Portam Constantinopolim adferentes Trapezuntem adpulere, conscensis navibus per mare nigrum Constantinopolim profecturi.

Ipsæ Anglicanæ paginæ memorant: Colone'llum Carr Londinum cum nuncio adpulisse: regem Persiæ arctum cum Gallia foedus pepigisse, & se hostem Angliæ declarasse.

Inter novissima nuncia Londino de 29. Jan. in Anglicanis paginis sequens legitur Articulus *Moscuæ de 30. Nov.* „Tractationes cum Persia faventissimum successum habent; communis opinio est: duplicem expeditionem adversus Anglicanas ditiones in Indiis orientalibus præparari. Astrachani Gallici militares officiales expectantur, qui jam in ejatibus oris sub auspiciis *D. Bussy*, & aliorum belli ducum stipendia fecerunt.”

Interea, usque expeditio Indica ad liquidum deducta facerit, in mari advertitur, Galliæ maritimas vires, non prorsus, (quemadmodum in Anglia suspicio habetur) obdormivisse; Eædem de 29. Jan. Londino relationes in hoc argumento ita se habent.

„Fama discurret: Classem Rupefortensem, & Brivatensem, aut saltim aliquam ejus partem, prout & bina navigia *Maclapolim* (S. Malo) copiis ad excensionem destinatis repleta, portu solvissæ.

Dies erat 17. qua Rupefortensis Classicula altum ingressa; die 24. *Corkii* in Hybernia quinæ linealis naves instruebantur, quæ passim hæc Classicula habentur; Rupefortensis quidem Classicula principio senis navibus de linea constabat, at persvasum vulgo habetur: unam earum portum repetere coactam esse; secundum alios Classicula memorata viam austrum versus ingressa est, crediturque in Americam destinata. Admirales *Duckworth & Strachan* persecutionem hostilis Classiculæ adhuc prosequuntur; & secundum relationem bellicæ speculatoriæ naviculæ postremus in distantia 4 non amplius horarum ab ea visus est.

Ex America porro nunciatur; domesticas solum naves Interdictio affectas; exteris vero indicatum esse: e vestigio quibusvis Americanis portibus iis decedendum esse; hæc agendi ratio, prout in eo Decreto innuitur, ab utraque Curia Conventus erga propositionem Præsidis ratihabita est, ad naves, nautas & merces fœderatorum Statuum periculo non amplius exponendas, quod beligerantes Europæ potentiæ iis minantur. —

G a l l i a.

Parisiis die 8. Febr. Imperator jam a longo tempore ab Instituto in argumento status & profectus artium & Scientiarum ex anno 1789 petiit edoceri, hæc edocitio secundum sectiones 4 Classium Instituti in totidem partes dividenda erat, & quævis pars Imperatori in Consilio Status per Deputatinnem

concernentis Classis Instituti porrigenda fuit. Hoc ipsum nudius tertius ex parte physicarum & mathematicarum Scientiarum factum est; relatio duabus absolvebatur sectionibus, quarum auctores erant Cl. *Delambre*, & *Corvier*, Anglicanæ paginæ sequens argumentum texunt officiosorum auctorum litteralium Parlamento substratorum intuitu novissimarum Intermediationis de pace cum Austria Tractationum: 1) Adnotatio de 18. Apr. qua Austriacus Legatus Londini residens, Princeps a Stahremberg, intermediationem Imperatoris Austriæ ad concludendam, Angliam inter & Galliam, pacem offert. 2) responsum D. Canning. 3) Adnotatio Principis a Stahremberg de 20. Nov. qua desiderium Imperatoris Austriæ exprimitur sensa regiminis Britannici in argumento conclusionis pacis maritimæ cognoscendi. 4) Responsum D. Canning eo tendens: rem miram videri, ab aula Vindobonensi desiderium renovari, ad quod jam solenniter responsum habetur; Ceterum Angliam pronam esse ad inchoandas concludendæ pacis tractationes, quæ emolumenta reciproca quorumvis bello implicatorum Statuum æquali ratione definiret. 5) Responsum Principis a Stahremberg, plus quinque hebdomadis tardius exhibitum, atque, quin ulla ratione penitiorum in declarationem se immittat, solum propositionem, modo sat vehemente continens, plena rerum agendarum potestate instructos Parisios expediendi ad tractandum ibidem cum Gallicano Ministerio de pace. 6) Re-

sponsum D. Canning, quo memorata propositio, ut par est, rejicitur, una adnotatur: in ea solum foederatorum Galliae, haud vicissim Angliae rationem haberi; Austriam poscere, ut Anglia Parisios plenipotentiatos expediat, et perspecta esse Galliarum sensa nondum; nihil memorari ab Austria in argumento bases inchoandarum Tractationum; melius in omnem casum esse, si Tractationes in alio loco, quam in hostis metropole locum haberent, votumque esse, idmodi locus ut indicetur; ex hoc responso elucet (subjungit Ephemeris, ex qua haec excerpta sunt) Anglicanum regimen propendisse in amplectendam Austriae oblationem ad pacem, si fieri potest, justam et honestam ineundam. Hoc argumentum pacificorum Suae Majestatis sensorum irritum fuit successu. Hostis quadriduo post ludum jocularum finiverat, quem ediderat. Adnotatio D. Canning edita est 8. Jan. 7) Adnotatio Principis a Sahrenberg, qua is, non expectato ulteriore mandato, litteras liberi comitatus ad discedendum postulabat. 8. et 9) continetur sola quaestio et responsum in argumento discessus Anglicani legati Vindobonae residentis, secundum editam ab Austriaco regimine invitationem. 10) Adnotatio, cui petite liberi comitatus litterae adnexae erant.